

8. Ad similitudinem harum processionum regulari poterunt et aliæ processiones extraordinariæ, quæ fieri quandoque contingit ad placandam iram Dei.

9. Si vero celebrandæ erunt processiones ex causa lætitiæ, et pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione aliquarum insignium Reliquiarum Sanctorum, ordinari poterunt ad exemplum processionis SS. Sacramenti, de qua in *sequenti Capite* dicitur: lumina tamen, seu funalia accensa deferri magis convenit, cum SS. Sacramentum, vel saltem Reliquiæ in processibus deducuntur.

CAPUT XXXIII.

Pro processione SS. Sacramenti in festo Corporis Christi, quæ præmonenda ab Episcopo circa præcedentias. Viæ et Ecclesia quomodo ornandæ. Ordo processionis. Paramenta Capituli Ecclesiæ Cathedralis in ipsa processione. Funalia a quibus et quo ordine portanda. SS. Sacramentum ab Episcopo quomodo gestandum. Locus et habitus Legati a latere, Cardinalis, Nuntii Apostolici, Metropolitanæ, et aliorum Prælatorum. Nobiles viri etiam hastas baldachini deferant. Præparanda pro ipsa processione. Accessus Episcopi ad Ecclesiam. Agenda post communionem celebrantis. Ordo inchoandæ processionis. Baldachini hastæ per Ecclesiam a Beneficiatis deferantur. Psalmi et Hymni ab Episcopo una cum ministris dicendi. Quid servandum ad altaria per vias erecta. Processio quo ritu perficienda. Benedictio cum SS. Sacramento danda, et Indulgentiæ evulgandæ. Missa privata ab Episcopo hac die dicenda. Ritus exponendi SS. Sacramentum super altari per totam octavam, et processiones faciendi.

1. Ut processio, quæ hac die erit faciendâ, rite et recte, ac secundum debitas cæremonias in honorem tanti Sacramenti fiat; et ad removendas omnes contentiones et lites,

quæ forsitan causa præcedentiæ oriri possent, et in ipso actu maxima cum indecentia et scandalo processionem ipsam turbare, cura erit Episcopi pridie hujus diei, vel etiam per aliquos dies ante, demandare magistris cæremoniarum, vel alteri, ad quem forsitan secundum loci consuetudinem hujusmodi cura spectabit, ut omnia decenter et diligenter præparentur et prævideantur.

2. Nempe, ut viæ, per quas processio transire debet, mundentur et ornentur aulæis, pannis, picturis, floribus, frondibusque virentibus secundum posse et qualitatem loci. Et ipsa Ecclesia similiter perpulchrè ornata sit, prout legitur in *Cap. XII. Lib. I.* de ornatu Ecclesiæ.

3. Item, ut fiat rotulus, in quo describantur per ordinem omnes, tam laicorum confraternitates, Religiosi, et clerus, quam etiam alii quicumque, qui huic processioni interesse consueverunt, vel debent: ut secundum debitum ordinem, et absque aliqua contentione procedatur: apponenda etiam aliqua pœna pecuniaria, vel etiam, si Episcopo videbitur, pœna excommunicationis, contra inobedientes, et procedere recusantes, secundum ordinem præscriptum in dicto rotulo.

4. Quod si aliqua præcedentiæ lis inter aliquos Religiosos, confraternitates, seu laicos pendeat, quæ non ita de facili terminari valeat, poterit Episcopus mandare, ut absque præjudicio jurium ambarum partium, vel procedant secundum ordinem in dicto rotulo descriptum, vel omnino ab hujusmodi processione absterneant, donec lis fuerit determinata: et intimentur omnes in rotulo descripti, ut ipsa die festivitatis SS. Corporis Christi, summo mane ad Ecclesiam Cathedralē conveniant, et ibidem, vel in aliquo ejusdem Ecclesiæ atrio, seu platea congregentur: unaquæque religio et confraternitas cum suis insignibus et cruce, ac etiam funalibus, seu candelis in processione deferendis. Omnes enim tam Religiosi, quam laici deberent, si fieri posset, in hac processione, si non funalia, saltem candelas cæræ albæ accensas manibus portare.

5. Ordo autem describendus in prædicto rotulo erit, ut præcedant confraternitates laicorum, deinde Religiosi secundum ordinem antiquitatis, vel prout de jure, vel consuetudine præcedere solent; postmodum Curiales, et Officiales portantes intorticia accensa, inter quos ultimo loco ibunt nobiliores, et Magistratus, deinde clerus, hoc est, primo minister portans crucem Ecclesiæ Cathedralis, medius inter duos clericos portantes duo candelabra cum candelis accensis, deinde, si aderunt, clerici Seminarii, et post eos Curati Ecclesiarum Parochialium cum cottis; tum Ecclesiæ Collegiatæ cum eorum insignibus, si alias illa deferre solent; et ultimo loco clerus Ecclesiæ Cathedralis, cujus Ecclesiæ saltem octo Beneficiati, seu Mansionarii, erunt parati cum pluvialibus albis, pro deferendis hastis baldachini in principio processionsis, ut infra dicitur, et deinde ibunt ante Canonicos, qui similiter omnes una cum Dignitatibus erunt parati paramentis albis, sibi competentibus, quemadmodum solent parari, Episcopo solemniter celebrante, incipiendo a junioribus et inferioribus hoc ordine; videlicet, primo Subdiaconi et Diaconi cum tunicellis et dalmaticis, deinde Presbyteri cum planetis, ultimo loco Dignitates cum pluvialibus; et si erit Archiepiscopus, portabitur immediate ante prædictos octo Beneficiatos paratos et Canonicos, per aliquem Subdiaconum paratum, medium inter duos Acolythos ceroferarios, crux Archiepiscopalis.

6. Ante Episcopum immediate ibit minister de baculo serviens, seu, juxta loci consuetudinem, Dignitas, vel Canonicus paratus pluviali, baculum prædictum a terra elevatum ambabus manibus portans, prout in *Cap. xvii. §. vi. Lib. i.* de mitra et baculo pastoralis dicitur.

7. A lateribus hinc inde ibunt octo Capellani cum cottis, qui in Missa servierunt, quatuor pro qualibet parte, portantes eadem funalia accensa, quæ pro Missa servierunt; et post eos duo Acolythi cum duobus thuribulis, continue SS. Sacramentum per viam thurificantes.

8. Sequetur Episcopus sub baldachino capite detecto, portans manibus suis SS. Sacramentum in tabernaculo, sive ostensorio inclusum, medius inter duos Diaconos assistentes paratos, hinc inde pluvialis fimbrias elevantes.

9. Post Episcopum immediate minister, de mitra serviens, cum cotta, et velo ad collum, mitram ipsam manibus gestans.

10. Si aderit Legatus de latere, vel alius Cardinalis, aut Metropolitanus, seu Nuntius Apostolicus, habens facultatem Legati de latere: vel alius Prælatus, ipso Episcopo superior, ibunt immediate post Episcopum cum cappa.

11. Alii vero Episcopi extranei, et Prælati post eos in habitu eorum ordinario, hoc est, mantelletto supra rochetum: et si una cum Legato, vel alio Cardinali, adesset Metropolitanus, vel Nuntius, seu alius Prælatus, Episcopo superior, tunc solus Cardinalis, vel soli Cardinales, si plures essent, erunt cum cappa, cæteri vero omnes in habitu ordinario, ut supra.

12. Cavendum etiam erit, ne in hac processione actus scenici, vel ludicri et indecori intermiscantur, prout in *Capite præcedenti* dictum fuit; sed omnia cum gravitate et devotione fiant, et procedant.

13. Deputentur etiam nobiles viri, seu Barones, et alii, qui hastas baldachini per viam processionsis portent, et qui illos in tempore, quando opus erit, vocet, secundum regulam supra positam in *Cap. xiv. Lib. i. §. ii.* de usu umbraculi.

14. Ipsa die summo mane, præparetur per Sacristam, vel alios ministros, baldachinum album perpulchrum, super SS. Sacramentum deferendum; item super credentia, ultra candelabra, et alia ordinaria pro Missa, tabernaculum pulchrum ex auro, vel argento, sive ostensorium, in quo SS. Sacramentum ponendum, portandumque erit; item duo thuribula cum naviculis et thure; item velum sericum album, amplum, auratum, seu perpulchre ornatum, ponen-

dum super humeros Episcopi, dum Sacramentum portabit. Præparentur etiam funalia, et candelæ ex cera alba in numero sufficienti pro Canonicis et aliis, deferenda in processione. Quæ omnia per Cæremoniarium prævideantur, an sint opportune et ad usum necessarium præparata.

15. Omnibus paratis, Episcopus, quanto citius poterit, veniet ad Ecclesiam, ordine, prout dicitur de accessu Episcopi ad Ecclesiam, et ibidem Missæ, per primam Dignitatem, vel digniorem Canonicum celebrandæ, paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albo et mitra assistit, in qua omnia servabuntur, quæ in *Cap. ix. hujus Lib. II. de Missa solemni*, quæ coram Episcopo celebratur, expressa sunt; ac etiam post Communionem, cum cæremoniis, genuflexionibus et reverentiis erga SS. Sacramentum super altare positum, quæ explicantur in *Cap. xxiii. §. VII. hujus Lib. II. de Officio*, et Missa feriæ quintæ in Cœna Domini.

16. Elevato SS. Sacramento, vel etiam ante, si opus erit, junior magister cæremoniarum curabit, ut processio, secundum ordinem in prædicto rotulo descriptum, dirigatur et procedat.

17. Postquam celebrans ipse communionem sumpserit, et SS. Sacramentum, in processione deferendum, in tabernaculo incluserit, Dignitates, et Canonici, ac octo Beneficiati supradicti, et si qui alii erunt, qui cum paramentis in processione ire debeant, unusquisque Canonicorum et Dignitatum in loco suo paramenta sacra albi coloris, sibi convenientia, induet; Beneficiati vero prædicti extra chorum capient pluvialia; et discedentibus duobus Diaconis assistentibus, ad se parandum in loco suo, duo ultimi juniores Canonici revertantur ad assistendum Episcopo, donec primi parati revertantur; quibus reversis, et ipsi ad se parandum ibunt.

18. Finita Missa, et data per Episcopum benedictione, celebrans, discedens ab altari, ibit in sacristiam, ubi, depositis paramentis Missalibus, induet alia, dignitati et ordini suo convenientia, deferenda in processione; et re-

versus, ibit ad locum suum inter alias Dignitates, et Canonicos.

19. Interim accedent ad Episcopum duo Acolythy cum duobus thuribulis, et ministrante naviculam Presbytero assistente, absque osculo cochlearis et manus, Episcopus stans cum mitra, sine benedictione, imponet thus in prædictis duobus thuribulis. Quo facto, accedet ad altare, ubi deposita mitra, genuflexus super pulvino ante SS. Sacramentum, accepto e manibus prædicti Presbyteri assistentis uno ex duobus thuribulis, thurificabit triplici ductu SS. Sacramentum.

20. Tum per Magistrum cæremoniarum imponetur super humeros ejus velum perpulchrum supradictum, quod firmabitur spinulis, ne per viam decingat, et Diaconus assistens a dexteris accedet ad altare, et cum debitis reverentiis accipiet tabernaculum, sive ostensorium cum SS. Sacramento de altari, et illud in manibus Episcopi genuflexi collocabit, cui nec manum osculabitur, nec ullam tunc faciet reverentiam, sed statim atque in ejus manibus ipsum Sacramentum reliquerit, genuflectet: tunc cantores incipient Hymnum *Pange lingua gloriosi, etc.*, et Episcopus cum SS. Sacramento surget; et Diaconi assistentes hinc inde, fimbrias anteriores pluvialis elevabunt; et si contingat aliquos gradus ascendere et descendere, Cæremoniarium, vel aliquis Capellanus, extremitates albæ, et vestes interiores ipsius Episcopi a parte anteriori elevabit; et aliquis Princeps, si adsit, vel nobilior laicus sublevabit, et portabit per totam processionem pluviale Episcopi a parte posteriori.

21. Octo vero Beneficiati prædicti, vel Mansionarii ex dignioribus parati, ut supra, accipiant hastas baldachini, quas portabunt per totam Ecclesiam, et in porta Ecclesiæ illas relinquent in manibus laicorum, qui primo loco Barones et nobiliores, seu Magistratus esse debent, deinde alii, ut supra dictum fuit. Ipsi vero Beneficiati præibunt ad locum suum, id est, ante Canonicos paratos.

22. Per viam processionis semper Episcopus aliquos

Psalmos, vel Hymnos summissa voce recitabit, respondentibus Diaconis assistentibus; et ordine superius descripto procedent per totam viam processionis; quæ, si longior fuerit, poterit Episcopus in aliqua Ecclesia, et super illius altare deponere SS. Sacramentum, et aliquantulum quiescere; et ibidem, antequam discedat, thurificare Sanctissimum Sacramentum, et Orationem de Sacramento cantare: quod tamen non passim in singulis Ecclesiis, vel ad singula altaria, quæ forsitan per viam constructa et ornata reperiuntur, faciendum est, sed semel tantum, vel iterum, arbitrio Episcopi.

23. Dum processio erit in fine, id est, prope eandem Ecclesiam, a qua discessit, ante ejusdem Ecclesiæ fores, iterum nobiliores laici, vel alii nobilitate eisdem æquales, hastas baldachini capient: et Episcopus sub baldachino ibit usque ad cancellos, vel Presbyterium, vel ad gradus altaris, juxta Ecclesiæ structuram et situationem.

24. Postquam Episcopus pervenerit ad supremum altaris gradum, Diaconus a dexteris cum debita reverentia et genuflexione, ac sine osculo, accipiet de manu ipsius Episcopi stantis SS. Sacramentum; et illud super altare collocabit.

25. Interim cantores in cantu pausato et devoto cantabunt Versiculum *Tantum ergo Sacramentum, etc.*

26. Episcopus vero, deposito velo, genuflectet super pulvino in infimo gradu altaris: mox surget, et imponet incensum in altero ex duobus thuribulis, ministrante naviculam Presbytero assistente, et sine benedictione et osculo, ut supra, et iterum genuflexus, SS. Sacramentum triplici ductu, prout fecerat in principio, thurificabit.

27. Quo facto, duo cantores cantabunt Versiculum *Panem de cælo, etc.*, et chorus Responsorium *Omne delectamentum, etc.*, et Episcopus surgens, ex libro, quem Diaconi assistentes genuflexi hinc inde sustinebunt, cantabit Orationem, *Deus, qui nobis sub Sacramento, etc.*, qua finita, accedat ad altare, et accepto tabernaculo, seu ostensorio cum Sanctissimo Sacramento, illud ambabus manibus ve-

latis elevatum tenens, vertens se ad populum, cum illo signum crucis super populum ter faciet, nihil dicens. Quo facto, iterum deponet SS. Sacramentum super altare, deponet velum, et genuflectet ut supra.

28. Tunc Presbyter assistens in cornu Epistolæ, stans versus populum, facta prius debita reverentia cum genuflexione SS. Sacramento, publicabit Indulgentias, in forma consueta, a Summis Pontificibus et ab Episcopo concessas omnibus, qui processioni interfuerunt.

29. Et advertatur, ut intorticia et candelæ, quæ in processione delata fuerunt, non extinguantur, donec Episcopus cum SS. Sacramento benedictionem, ut supra dictum est, dederit.

30. Omnibus expeditis, Episcopus, facta aliquantulum oratione ante SS. Sacramentum, post debitam genuflexionem, atque accepta mitra extra cancellos, discedet cum Canonicis in sacristiam, ubi paramenta deponet, et solito more associatus ab eis, ad domum suam redibit.

31. Si vero Episcopus voluerit ex sua particulari devotione hac die celebrare, et SS. Sacramentum pro dicta processione conficere, poterit summo mane Missam planam sine cantu legere, omissa pro hac die, propter processionem, ad celeriore actus expeditionem, et ad evitandum calorem, Missa solemni: et in fine Missæ Canonici et alii, ut supra, capient paramenta.

32. Episcopus vero, depositis manipulo et planeta, capiet pluviale; et cætera omnia fient, quæ superius declarata sunt.

33. Et quia solitum est per totam hanc Octavam ponere super altare tabernaculum cum SS. Sacramento discooperato, dum Vesperæ et Officia divina recitantur, ad quæ magna populi frequentia solet accedere, conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Episcopus, quam Canonici, et omnes præsentés, et in choro assistentes, durante Officio, starent semper, capite detecto, et nunquam sederent. Quod si ob longitudinem Officii præstare non po-

terunt, non omittant saltem in signum reverentiæ detecto capite, existente SS. Sacramento super altari, divinis Officiis assistere.

34. Solitum etiam est octava die hujus festi post Vesperas fieri processionem ad reponendum SS. Sacramentum, quæ non tam solemnitas, et longa via, ut prima, sed vel per Ecclesiam, vel parum circa extra eam fieri debet, in qua, si Episcopus interesse voluerit, debet cum pluviali SS. Sacramentum portare; et tam in principio, quam in fine processionis illud thurificare, et alia facere, quæ superius expressa sunt; et demum Diaconus debet in fine illud includere et reponere in tabernaculo, ubi solet continue asservari.

35. Absente Episcopo, et in Collegiatis, celebrans, finita Missa, et depositis planeta et manipulo, capiet pluviale, et SS. Sacramentum thurificabit, illudque sub baldachino portabit, et omnia, ut supra, fient, exceptis iis, quæ ad Episcopum proprie pertinent.

CAPUT XXXIV.

In quibus festis Episcopi solemniter celebrare soleant. Episcopus in crastinum celebraturus, Vesperas solennes pridie agere ipse consuevit. In quibus festis Episcopi Missæ et Vesperis solemnibus assistant.

1. Quia per annum plura festa occurrunt, ultra superius expressa, in quibus decet, vel Episcopum solemniter celebrare, vel saltem Vesperis et Missæ, solemniter per alium celebratæ, interesse, de his breviter aliquid dicendum est.

2. Celebrare igitur poterit Episcopus, nisi legitime fuerit impeditus, in die Nativitatis D. N. Jesu Christi, in festo Epiphaniæ Domini, feria quinta in Cæna Domini, in Dominica Resurrectionis, in die Ascensionis, in Dominica Pentecostes, in festivitibus Annuntiationis et Assumptionis B. M. Virginis, in festo beatorum Apostolorum Petri et Pauli, in festo omnium Sanctorum, in festo Sancti titularis Ecclesiæ, et Patroni, in die Anniversario Dedicatio-

nis Cathedralis Ecclesiæ, vel etiam arbitrio suo in aliis festivitibus per annum, quandocumque ei placuerit, cum cæremoniis et solemnitatibus, quæ supra in *Capite VIII. hujus Lib. II.* de Missa solemnibus, Episcopo celebrante, explicatæ fuerunt: ac etiam cum Vesperis solemnibus in vigilia, seu die, quæ festum præcedit, excepto Sabbato sancto, quo die Vesperæ non dicuntur, nisi mane in fine Missæ, et vigilia Annuntiationis B. Mariæ, si venerit in Quadragesima, die feriato: quo casu Vesperæ non celebrantur in vigilia, sed tantum in die, finita Missa: et tunc, ne ista solemnitas sine Vesperis solemnibus transeat, poterit Episcopus, depositis Missæ indumentis, accipere pluviale, et celebrare Vesperas, Canonicis paratis remanentibus.

3. Sed, si hoc festum venerit feria secunda in Quadragesima, poterunt Vesperæ solennes in Dominica præcedenti celebrari cum cæremoniis, prout supra dictum est in *Capite I. hujus Lib. II.* de Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum celebraturo.

4. In aliis autem festivitibus, videlicet, in nocte Nativitatis Domini, S. Stephani, sancti Joannis Evangelistæ, Circumcisionis Domini, feria secunda et tertia Paschæ, Dominica in Albis, Dominica SS. Trinitatis, in festo sancti Joannis Baptistæ, in festo Nativitatis B. Mariæ Virginis, in aliquibus principalibus festivitibus Ecclesiæ Cathedralis, et pro aliqua re gravi, ad universalem, vel propriam Ecclesiam spectante, vel alias quandocumque Episcopo placuerit, poterit, paratus cum pluviali et mitra, assistere Missæ, per aliquem Prælatum, Dignitatem, seu Canonicum celebrandæ, in qua omnia servabuntur, quæ supra explicata fuerunt in *Cap. IX. Lib. II.* de Missa solemnibus, quæ coram Episcopo celebratur: et si præcedenti die Episcopus Vesperis interesse voluerit, celebrabuntur similiter: prout dicitur in *Cap. II. ejusdem Lib. II.* de Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum non celebraturo. In aliis festivis, seu ferialibus diebus Episcopus, cum aderit, semper deferet cappam.

CAPUT XXXV.

Missæ solemnæ, vel per Episcopum, vel per aliquam Dignitatem celebranda in diebus electionis et consecrationis ejusdem. Paramenta sint coloris festo convenientis; si vero feriata dies sit, erunt alba. Collecta pro Episcopo in eadem Missa dicenda.

1. Singulis annis, in diebus anniversariis electionis et consecrationis Episcopi, Missam solemnem, vel per ipsum Episcopum, vel per aliquam Dignitatem, seu Canonicum, ipso præsentem, celebrari convenit; quæ, si dies electionis, seu consecrationis venerit in die aliquo festivo, celebrabitur de festo, cum paramentis, festo convenientibus, et cum commemoratione pro Episcopo.

2. Si vero venerit in die feriato, celebrabitur, prout in Missali, cum paramentis albis, et una tantum Collecta pro Episcopo, videlicet: *Deus, omnium fidelium Pastor et Rector, etc.*, et si Episcopus celebret, dicat in Oratione *Me indignum famulum tuum, quem huic Ecclesiæ, etc.*, sed in reliquis omnia circa cæremonias servabuntur, quæ supra propriis in locis explicata fuerunt.

CAPUT XXXVI.

Anniversarium pro Episcopo proxime defuncto celebrandum. Missa solemnæ pro Defunctis ea die coram Episcopo cantanda. Sermo post Missam omittatur. Absolutio in fine per Episcopum cum paramentis nigris fiat.

1. Episcopus vivens, prædecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro ejus anima singulis annis in die obitus anniversarium celebrare, vel saltem Missæ pro ejus anima, ab aliqua dignitate, seu Canonico celebrandæ, præsens assistere, et in fine absolvere.

2. Missa autem erit Defunctorum, et in ea omnia tam circa ornamentum altaris, et indumenta, ac paramenta Missalia, quam circa genuflexiones et cæremonias, servabuntur, quæ supra declarata fuerunt in *Capite xi. Lib. ii. de Missa Pontificali pro Defunctis*, et in *Cap. xii. ejusdem Lib. de Missa pro Defunctis*, quæ coram Episcopo celebratur.

3. Non tamen post Missam sermo habendus erit; sed finita Missa, solus Episcopus, deposita cappa, apud sedem suam parabitur pluviali nigro cum cæteris indumentis, et habens ante se pannum nigrum extensum, seu lecticam mortuorum, absolyet, prout ibi dicitur.

CAPUT XXXVII.

Anniversarium omnium Episcoporum quotannis in Cathedrali faciendum. Quomodo Episcopus Missæ huic assistat, et absolutio faciendæ sit, vel ab ipso Episcopo, vel a celebrante.

1. Aliquo die non impedito, infra Octavam Defunctorum, arbitrio Episcopi, Canonicus aliquis, seu Dignitas Ecclesiæ Cathedralis, celebrabit Missam pro animabus omnium Episcoporum, et Ecclesiæ Cathedralis Canonice defunctorum, cum paramentis nigris, et cæremoniis, prout supra dictum est, cui Missæ Episcopus præsens erit cum cappa, et in fine, si voluerit, poterit, immo debet, deposita cappa, et accepto pluviali, absolvere, prout dicitur *Capite præcedenti*.

2. Quod si Episcopus hujusmodi Missæ præsens non erit, vel absolvere nequiverit, celebrans, finita Missa, accedet ad cornu Epistolæ altaris, ubi in plano deposita planeta et manipulo, accipiet pluviale nigrum, et stans in dicto cornu Epistolæ, versus ad altare, expectabit finem Responsorii, et interim clerici, seu alii, extendent pannum